

Kem.
1718

Kern 17 16

DE
MORBILLO RVM
VERORVM

ET
SPVRIORVM DIFFERENTIA,
DISSERTATIO INAUGVRALIS,

QVAM
CONSENTIENTE
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

IN
VNIVERSITATE LITERARIA FRANCOFVRTENSI
PRO SVMMIS

IN
MEDICINA ET CHIRVURGIA
HONORIBVS

LEGITIME OBTINENDIS

A. D. XVIII. OCTOBRIS MDCCCXCVI.

PVBLCICE DEFENDET

A V C T O R

M O S E S M A R K V S E

HANNOVERANVS.

TRAIECTI AD VIADRV M,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

Kern 1716

MORBILLORVM

VENTILVM

SYRIVM DIFFERENTIA

DISCERNENDVM

CONTRA

GRANDIUS MEDICINAE ORDINE

IN

UNIVERSITATE

LEIPZIG

IN

MEDICINA ET CHIRURGIA

PROFESSORVM

LECTURAE

ANNO

MDCCCXXXIII

LEIPZIG

MORRIS

LEIPZIG

UNIVERSITÄT

LEIPZIG



PRAEFAMEN.

Mos cum poscat antiquus, ut, qui ad summos in medicina et chirurgia honores adspirant, libellum academicum conscribant, quem eruditorum examini submittant: metuloso animo, finito meo studiorum academicorum cursu, hoc officium adii; quoniam virium mearum tenuitatis memor, me tironem medicum destitutum experientia, nihil, quod eruditis lectoribus satis dignum esset, cum re publica medica communicare posse persuasum habebam. Quamobrem etiam magis more illo recepto coactus, quam gloriae cupidine incensus speciminis huius elaborationem aggressus sum, de argumento libelli diu dubitans. Hypotheses, quibus nostra tempora magnopere abundant, in medium proferre vel ideo nolui, quia discre-

A 2 pan-

pantes summorum virorum sententias componere nec ausim, nec tanti facio meam opinionem, vt diuulgarem. Ad practicam igitur doctrinae medicae partem me vertens, pertractandi alicuius morbi propria obseruatione mihi satis cogniti optionem feci.

Inter illos morbos cum morbilli sunt; et cum meus grata semper memoria mihi venerandus praeceptor, illustris STROMEYER in praelectionibus suis morbillos describeret, qui spuriorum nomen merentur: eo minus de differentia morbillorum verorum et spuriorum differere dubitavi, quo magis eam confirmaret, cuius lectionibus cum insigni vtilitate modo interesse mihi licuit C. A. G. BERENDS. Itaque spero, me vel ideo in adnotanda huiusce morbi differentia non admodum esse hallucinaturum, cum spurios morbillos e binis exemplis accuratius obseruandi mihi daretus occasio.

DE MORBILLORVM SPVRIORVM
ET VERORVM DIFFERENTIA.

§. I.

Introductio.

In nullo fere morborum genere veritas veteris illius sententiae magis conspicua inuenitur: naturae ministrum, non dominum et magistrum esse medicum, quam in exanthematibus febrilibus plerisque. Ecquis enim est, qui variolis se vel morbillis mederi posse, affirmare audeat! Omnia, quae aduersus illa exanthemata ars nostra valet, eo continentur, ut tollere studeamus morbi complicationes, quae eum aut grauiorem reddunt, aut ex eo vitae periculum minantur; quod aetia conueniens ceteraque omnia medicorum consilia vergunt; dum interim morbus ipse nulli cedit medicamini et cursum suum imperturbatus persequitur. Curantis igitur hosce morbos medici officium potissimum hoc est, ut caueat, ne nouus aliquis aliusque morbosus status iam praesenti accedat, aut, si

ac-

acceserit, ne penitus in corpus se insinuet, sedemque ibi altiore figat. Praeterea aegroto prospiciendum est, ne regimine utatur, vel remediis talibus, qualia aut vehementiores reddant contagii effectus, aut turbent benefica naturae medicatricis conamina, per cutem materiam expellendi, quam extinguere, aut aliis e corpore viis proscribere nequimus. Hinc elucescit, quale pretium statuendum sit plurimis contra exanthemata nonnulla acuta commendatis medicaminibus, tam prophylacticis, quam therapeuticis. Laudatur exempli gratia mercurius, tamquam maxime accommodatum aduersus variolas prophylacticum. Enimuero etsi ab ipsarum contagio neminem tueri valet, ab optimis tamen nostrae aetatis medicis felicissimo cum successu praebetur et infantibus et adultis, quibus vel insitae sunt vel epidemice grassantes imminent variolae. Multiplex vero huius medicinae in morbo varioloso utilitas nemini difficilis est intellectu, nisi quem omnino fugiunt eximii medicamenti virtutes adeo diuersae. Scimus enim, illud in systema corporis humani vasorum lymphaticorum et glandulorum praecipue agere, quare usus eius tam praestantissimos prodit effectus in hydrop^e *), in scrophulis etc.

*) RICHTER (doctoris mei pio semper animo colendi) *medicinisib - chirurgische Bemerkungen*, vol. I. pag. 276.

etc. Stagnationes, praesertim in systemate illo fitas, mouet *), quod eius in scirrhis et aliis glandularum obstructionibus edocet utilitas: vermes necat et ab iis non solum, sed a for-
dibus etiam primas vias depurat. Quid est, quod amplius desideraueris, vt securos infantes reddas, quibus variolae instant; siquidem hisce ab illis variolosi morbi complicationibus, quibus mercurius medetur, maximum periculum praecipue portenditur.

Lenire igitur omnino aliquo modo valet mercurius morbum variolosum: num vero contagium vires suas aut non, aut breviori solito temporis spatio exercere cogit? — Minime! — Imo si vel maxime, quo minus aliquem inuadat aut cutem afficiat, contagium impediret, exoptabile commodumque pluribus eam ob rem mercurius non foret medicamen, quoniam, ne alio tempore miasmate corriperetur, hominem defendere tamen non posset.

§. II.

De morbillis veris.

Magis fere quam in variolis, quibus simplex ac benigna est natura, otiosos esse in morbillis, si eadem indole gaudent, medicos oportet. Multum enim nocere, parum
au-

*) Quomodo id efficiat, an solida, an fluida potius afficiendo, et quid de stagnationum natura iudicandum sit, exponere hic non locus est.

autem iuuare potest eorum nimia sedulitas. Sed de morbillis fusius hic mihi loqui liceat, ut eo facilius propositum meum exsequar.

A miasmate specifico, cuius effectus melius quam naturam intelligimus, hocce oritur exanthema. Infantes ut plurimum inuadit: sed nec adultis, nec senibus parcat. Epidemice paene ubique grassatur: vix unquam sporadicum obseruatur. Paucissimi sunt, qui illo totam per vitam maneant immunes: semel autem salutatos vix iterum corripit, et ubi morbillorum bis aggressorum reperiuntur exempla, ibi semel forsan morbilli spurii pro veris sunt habiti. Contagione quidem exanthema morbillosum, sed non tam facile, quam variolosum, aliis impertitur. Prodromi morbi et fidi satellites catarrhalia sunt symptomata. Tussunt primo aegroti, saepius sternutant: tumescit aliquantulum facies: lippiunt oculi, lucem ferre recusantes, rubedine et pruritu laborantes. Mox post haec symptomata, vel simul cum illis febris apparet, catarrhalis (si benignus nempe est morbus) plerumque indolis, cum fugaci saepius horrore, qui cum calore alternat; pulsu celere, inaequali, vix iusto duriore et pleniore; vrina aquosa; lingua aut mucotenui obducta, aut pura, aut praeter modum rubra. Caput grauescit et dolet: vires corporis prosternuntur: nasus et oculi rubent, tument et dolent: aqua ex illis acris copiosa effluit. Accedit nonnunquam, inprimis apud adultos narium haemorrhagia, leuamen
eagro-

aegroti concilians: deglutitio difficilis a faucium catarrhali tumore proficiscens: ad tussim siccam continua irritatio, anxietas, oppressio pectoris, raucoedo etc.

Secundo de'n febris die crescunt illa symptomata, quibus tunc etiam saepissime borborygmi, nausea, conatus vomendi, imo ipse vomitus et diarrhoea accedunt: atque sub tertiae deinde vel quartae diei, rarius et haud sine periculo, imo cum lethali interdum eventu, sub quintae vel sextae initium in febris remissione cum sudore, praegressaque in quibusdam fortiori horripilatione et inquietudine, vel quod saepius fit apud infantes, sub conuulsionibus iam iam succedit eruptio, quae primo in facie, pectore et dorso, dein vero sensim toto in corpore conspicitur maculasque exhibet rubras, nitidas, prurientes, imperfecte circulares, capitis aciculae seu lentis magnitudine, quae initio (quod autem digito magis, quam oculis cognoscendum est) supra cutem prominent et distant, postea autem quasi diffluunt et planae fiunt. Nulla paene cum exanthematis eruptione coniuncta est febris aliorumque symptomatum imminutio.

Quarta vel quinta morbi die stadium efflorescentiae incipit. Tunc, qui pallidi antea et inconstantes apparuerunt morbilli, rubriores euadunt, in loco suo non tantum subsistunt, sed latius se extendunt, summamque omnia symptomata vehementiam

n an-

nanciscuntur. Crescit tumor partium morbillis obfessarum, secundum eundem, quo illi apparuerant, ordinem. Primo enim facies, deinde aliae partes tumescunt. Exasperatur tussis, adeoque luminis impatientes sunt oculi, ut non raro eos claudant aegroti. Sub grauiori morbo febris quoque et dyspnoea increscunt. Ischuria leuis obseruanda venit nonnunquam. Vomitus crebri meraeam bilem, vel mucum incorruptum, aut aliam non impuram materiam excernunt. Maculae ipsae, imo totius corporis cutis calet, sudoremque olentem emittit.

Quae postquam duos, vel tres inde per dies perseverarunt symptomata, stadium desquamationis subintrat. Quae faciem occuparunt exanthemata, reliquis adhuc intense rubris, pallescunt. Facies ipsa detumescit, priusquam aliarum partium colabitur tumor, quod sic ulterius eodem, quo facta est eruptio, ordine succedit.

Leniter nunc cutis exspirat, urinae multae, criticae subsequuntur et sputa copiosa viscida, brunei nonnunquam coloris. Febris et alia symptomata catarrhalia aufugiunt. Ipsum exanthema euanescit in cute, quae fursure quasi conspersa et a valde exiguis frustulis epidermidis abruptis aspera videtur et nullo cicatricis vestigio deturpatur. Itaque nono die vel certe undecimo totus morbus finitus est. Crebro quidem, etsi perfecte iudicato morbo per sudorem urinamque, tussis remanet, quae
vero,

vero, nisi adeo vehemens est, praeterlapsa una alteraue hebdomade, sponte, regimine conueniente obseruato, ut plurimum cedit, nil mali pulmonibus relinquens.

§. III.

Morbilli complicati.

Hic perpetuus morbi est decursus, si bonae atque simplicis est naturae: at non semper eodem modo se habet, non semper febris catarrhalis lenisque est indolis. Haud nimis raro characterem inflammatorum assumit. Imo totus ad hunc, imprimis si adultos occupat, morbus propensus videtur, quem si adeptus est, febris validior cum pulso duro et pleno est. Permoesta tussis et pectoris magna oppressio peripneumoniam aegroti minantur: ardent dolentque fauces: oculi inflammati sunt: acutior adest coryza: exanthemata ipsa pustulosa magis, asperiora, rubriora inueniuntur, et narium haemorrhagia, sanguinis profluuium ex ano in haemorrhoidariis, ex utero in mulieribus, accessu suo saepe maximum leuamen afferunt.

Sub constitutione gastrica aut in homine, cuius faburra scatet tubus intestinalis, orti morbilli characterem gastrici morbi nanciscuntur. Non autem lingua tantum albida, nausea, vomiturius, ponderis sensus in praecordiis et cephalalgia de morbillis gastricis satis certos nos faciunt. Haec enim signa
in

in morbo exanthematico febrili incerta et fallacia habenda sunt, quae, rite monente Burserio *), ab irritatione, quam a materia exanthematica passae sunt primae viae, originem saepissime trahunt. Confirmant vero, colluuiem adesse, mos epidemicus, gastricis affectibus fauens: vitia dietae praegressa: sapor oris amarus, fastidiosus: bilis nigricans, decolor, seu pituita corrupta, vomitu reiecta: alui obstructio, aut nimia laxitas, qua, cum leuamine, faeces decolores praeter modum foetidae eiiciuntur: color faciei subicteritius, vrina crocea etc.

Praegressis multo peior cum flatu nervoso lentescente est complicatio, quae aut in corporibus teneris, ad passionem hystericae hypochondriacae dispositis, a morbillis correptis: aut febribus lentis nervosis epidemice grassantibus praecipue animaduertitur. Diu tum plerumque exanthematis retardatur eruptio, et tussi longe antea aegroti laborant. Febris se extollit lentae nervosae indolis, cum horrore fere diuturno, aut frigore intolerabili, pulsu celere, debili, vrina pallida, cephalalgia hystericae simili, deliriis taciturnis, tremore artuum, tendinum subsultu. Alii vigiliis
ni-

*) BURSERII de KANILFELD institutiones med. pract. vol. II. pag. 117. Lipsiae MDCCCLXXXVII.

nimiis, alii somnolentia perpetua laborant. Aut prorepat quasi tardissime exanthema, aut conuulsiones sequens eius eruptio, a solito modo deflectit, atque explosionis magis nomine est digna. Vna enim in omnibus simul corporis partibus exanthemata conspiciuntur, quae inconstantis solent esse coloris, plus debito albicantia, et a leuissima causa retrocedunt. Tunc crescunt symptomata omnia neruosa, et singularis aegrotos anxietas torquet. — Stadium exsiccationis (si ad illud vsque vita trahitur) leuationem quidem nonnullam affert, sed haud absque periculo in illo sunt aegroti. Perdurant enim plerumque asthma, tussis sicca, molesta, multo longius, quam alias debent ac solent.

Raro quidem, sed funestissimo cum euentu, febrem putridam sociam sibi eligit exanthema morbillosum, constitutione epidemica morbis putridis fauente. Symptomatum catarrhalium loco longe saeuiora adsunt: narium, pulmonum, ani vel vteri profusae, vix sistendae, haemorrhagiae: vomitus continuus: diarrhoeae immanes, materias foetidissimas excernentes: lethalis pneumonia: vlcera faucium et oris in gangraenam procliuia: summa virium prostratio: deliria etc. Morbilli vero ipsi aut liuidi sunt, aut nigricantes, aut etiam ipsis cum petechiis intermixti; et desquamati profunda plerumque in cute relinquunt vestigia, cicatricibus similia.

VI.

Ultimae duae morbillorum species
(nervosa et putrida) malignorum nomine
saepissime ab auctoribus describuntur.

§. IV.

Prognosis.

In genere haud perniciosum morbum
morbilli sistunt, praesertim, si infantes inua-
dunt alias sanos, nec ab illis, qui simplices
audiunt, deflectunt. Periculi autem haud
parum portendunt, si adultos aut senes
occupant et quoties cum statu putrido aut
nervoso complicantur. Et in hoc enim, ut
in aliis exanthematibus, febris aegroti sortem
maxime definit.

Maximum semper in stadio desquamati-
onis periculum metuendum est, si crises
quocumque modo turbantur, atque prae-
postere adhibitis calefacientibus praecipitan-
tur, aut a natura ipsa male absoluntur.
In pulmones enim tum saepissime se vertit
morbi materies et peripneumoniam gignit,
incredibili paene celeritate in phthisin
abeuntem. Ast et alias partes inficit; ocu-
los, ubi ophthalmias vel fistulas lacrymales:
intestina, ubi enteritidem aut diarrhoeas
chronicas parit, tabem quae procreant
glandulas, quas tumefacit et exulcerat etc.

Tussis, si per aliquas tantum post
morbi solutionem hebdomadas remanet,
nihil mali portendit, si autem diutius perse-
uerat, phthisin minatur: quod idem valet
de

de raucedine post dequamationem super-
fite: sed maximum ab his affectibus illos
manet periculum, qui ad phthisin dispositi,
vel iam saepius haemoptysin passi sunt, vel
tuberculis pulmonum affinique aliquo vitio
laborant.

Febris morbillosa secundaria, quae sub
nonum vel octauum morbi diem exurgit, pes-
simi semper praesagii est, quia ab irritatione,
quam internae partes a contagio passae sunt,
proficiscitur. Imperfectae semper eruptio-
nis, vel retrocessionis macularum sequela,
et cum peripneumonia, angina, enteritide
vel diarrhoea coniuncta est haec febris, e
qua pauci conualescunt. Malus idcirco
semper habendus morbillorum regressus,
quia, nisi mox in cutem repelluntur, ita
thoracis et abdominis viscera materia mor-
bosa inficit, ut perniciosissimae nascantur
inflammationes.

§. V.

Curationis epitome.

Simplex morbo, mitiore tussi, et leni-
bus aliis symptomatibus, curare tantum est
medici, ut cum regimine accommodato
dietam talem obseruet aegrotus, qualis nec
reprimat crises, nec acriorem reddat cale-
faciendo contagii acrimoniam, eiusque
effectus perniciosiores. Potiones crebrae de-
mulcentes praebendae sunt, ut iis partim aci-
mo-

monia morbillosa obuoluitur, partim urinae fluxus maxime salutaris expediatur. Cui optime scopo inferuiunt: decocta malti hordei, oryzae, emulsio amygdalina tenuis et alia huiusmodi. Aluum, si obstructa est, enematribus laxari oportet, atque lucem semper diligenter arceri ab aegrotantis cubiculo, qui in stadio efflorescentiae et desquamationis paululum se componat ad diaphoresin, et crebrius infusum calidum florum sambuci sumat. Porro commendamus tartari emetici paruas doses cum sale ammoniaco, et versus finem morbi, nisi sponte aluus laxa est, lenia eccoprotica: serum lactis tamarindinatum, infusum laxatiuum Viennense etc; vt, quo minus in intestinis forsan latens, vel in illis depositum virus morbillosum, in sanguinem resorbeatur, impediamus. Ne nimis autem continuetur alui purgatio, quoniam semper adhuc fouendae perspirationis cutaneae ratio habenda est.

Maiorem iam artis opem morbilli inflammatorii requirunt. In adultis semper paene bene fert morbus venaesectiones; sed, cognita e supra (§. III.) memoratis signis diathesi inflammatoria, carere illis summo sine aegroti damno nequimus. Sola enim sanguinis missione eruptio promouetur, haemorrhagiae auertuntur et peripneumoniae timendae. In tenellis quidem infantibus hirudines pone aures venaesectionis loco applicari possunt: sed, grauiori morbo, et
in

in istis non abhorrendum est a viribus accom-
modata sanguinis missione. Alius hic ple-
rumque clausa, enematibus, sero lactis ta-
marindinato aliove simili medicamento mo-
uenda est. Haud autem conveniunt nitrum
et alia salia media, nisi cum gummi arabico
coniuncta, vel emulsione amygdalina tem-
perata; quibus autem vires salium magnopere
minuuntur; quia alias irritando tussim caetero-
rosque augent pectoris affectus. Sublata
diathesi phlogistica, nisi topicis sanguinis
missionibus cedunt peripneumonia ali-
aeue locales inflammationes, opium maxime
interne sumtum et externus cantharidum
usus conducunt, sub iisdem, quibus semper
in illis adhibendis opus est, cautelis.

Febris gastrica morbillos comitans an-
tigastricam methodum postulat. Ad illam
autem priusquam recurritur, bene inquiren-
dum est, nonne a sola nervorum irritatione
nata sunt, quae primarum viarum vitiosam
colluuiem indicare videntur, phaenomena.
(§. III). Quod si fiat, maxime nocent om-
nia euacuantia, vires, augendo irritationem,
prostermentia. Vera autem colluuiet detecta,
insignia ferre commoda solent emetica;
et purgantibus si opus est, ob mobiles, deor-
sum turgescentes impuritates, evitanda tamen
sunt omnia irritantia, ad quae salia media per-
tinent: iisque olea non rancida, manna et
alia huiusmodi longe anteponenda sunt.

Multo diuersam sibi exposcunt morbilli
nervosi curationem. Iam ab initio lecto ad-

stringatur aegrotus crebrisque decoctis sudoriferis vtatur et ad expediendam tardantem exanthematis eruptionem atque efflorescentiam, infusum radice serpentariae Virginianae cum camphora commodum invenitur.

Eadem fere status putridus indicat; generatim in methòdo antiseptica applicanda, bene caueatur a frigore, eruptionem impediēte et eruptos morbillos retropellente: caueatur etiam ab acidis irritando tussim augentibus: praebentur contra cortex nisi oppressio pectoris eum contraindicat, radix serpentariae Virginianae, camphora, hisque similia antiseptica, leniter diaphoretica.

Retrocessarum macularum causam occasionalem aut animi vehementiorem affectum, aut refrigerium fuisse, accurata rerum circumstantium exploratio plurimis in exemplis docebit. Quem si post exanthematis retrocessum, omnia symptomata valde increscunt et febris acutior aliaque phaenomena statim inflammatorum indicant: methòdo opus est antiphlogistica, antequam camphora et aliis in cutem reducētibz morbosam materiem vti licet. Si vero exigua fuit, qua effecta est retrocessio, occasio, si syncopen illa et spasmos hystericos excitat: statim diaphoretica, quae tunc aptissime cum narcoticis coniunguntur, adhiberi oportet.

Inter symptomata peculiarem in curationem necessariam reddentia, tussis maxime eminent, molestissimum plerumque totius morbi symptomata. Leuationem ab illa aegroti-

ti sentiunt, si demulcentibus mucilaginosi,
glyzirhiza, gummi arabico etc. vtuntur at-
que vapores e decocto florum sambuci et
lacte aliisque emollientibus speciebus inspi-
rant. Diu autem post morbum tussis conti-
nue remanens tres praecipue fontes habet:
aut

I. a statu inflammatorio in pulmonibus
relicto venit. Tum sputa sanguinea
interdum profert, et venaesecioni solae
obtemperat -- aut

II. Tussis stomachica est, a colluuië biliosa
oriens, quae non tota euacuata est et in
pulmones se vertit. Tum emetica egre-
gium prestant vsum -- aut

III. a metastasi proficiscitur et diaphoreticis
eget, inter quae praecipuum obtinent
locum camphora et balneum calidum:
conferunt quoque demulcentia et
narcotica.

Eclampsia, saepius per morbum infan-
tes inuadens, aut a contagii imitatione in cor-
poribus tenellis, aut a dentitione, a vermi-
bus, vel aliquo simili causa nata, statui
cuique peculiari conuenientia remedia pos-
cit.

Diarrhoeae profusae et inanes, nihil
critici habentes, aut a phlogosi veniunt, aut
a materie morbilloso intestinali irritante: simili
ratione etiam considerandae veniunt ophthal-
miae, quibus, nisi inflammatoriae sunt natu-
rae et venaesecionibus achirudinibus tempo-
ribus appositis solis cedunt, fomentationes

demulcentes, emollientes, tepidae aptissime opponuntur.

Glandularum tumores a morbillis relictis internam diaphnoicam et externam resoluentem poscunt medicationem: sed cauendum est a calidis discutientibus.

§. VI.

De causa morbillorum.

Morbilloso aequae ac varioloso penitus nos fugere contagii naturam, omnino fatendum est: a contagio autem specifico morbum oriri, extra omnis dubitationis aleam specifici illius ponunt effectus, qui acre illud esse nos edocuerunt eamque ob rem ad inflammationes ciendas pronum: summam ei inesse volatilitatem, e facili exanthematis retrogressionem et materiei morbidae metastasibus colligere licet pariter ac singulari pollere, quam cum aliis catarrhalis indolis affectibus communem habet affinitate cum humoribus lymphaticis et mucosis*), quare membranarum mucosarum faucium

*) Ex hac affinitate, non a morbillis pulmones ipsos obsidentibus, russis mihi videtur deriuanda, quamquam ROSENSTEIN (*Kinderkrankheiten, dritte Auflage* pag. 294.) vir cuius non parua sunt de re medica merita, posteriori opinioni adhaerens, ut hanc confirmet ad experientiam provocat, in inoculatis morbillis tussim nullam vel parvam adfuisse. Omnia autem, quae scimus de morbillorum inoculatione, adeo vaga sunt et incerta, ut nil certi ex ea colligi definiturque possit,

cium, narium et bronchiorum libenter insidet; sed opus est, ut a corpore suscipiatur certa huius, nobis incognita, dispositione praedito. Parcet enim contagium aliis, qui morbo et si nondum laborarunt, impune tamen in aegrorum versantur atmosphaera, impauidi eos attingunt, vel alio modo familiariter illis utuntur; cum eodem fere tempore alios corripit, qui cautissime, ne inficerentur, se defendere frustra quaesiverunt. Ex qua tamen observatione cum ROSENSTEINIO fortasse nondum concludere licet, in aëre contagium morbillosum non insidere*). Nam certis anni temporibus**), sub certa aëris constitutione frequentissime morbilli se ostendunt.

§. VII.

Morbi morbillosi cum varioloso similitudines.

Nulla quamquam fides illis veteribus tribuenda est medicis, qui a degeneratione tantummodo miasmatis variolosi morbillosum oriri putarunt: tamen in utriusque effectibus comparandis, haud pauca, quibus morbilli similes sunt variolis, conspiciuntur. Eandem habet uterque morbus in Europa ***) aetatem, eadem aëris constitutione, eodem anni

*) l. c. pag. 286.

**) Ianuario et Februario mensibus.

***) In quam illos in fine saeculi IX. primum petralatos esse, vero simillimum est.

tempore, et certa corporis, vt in illud intret, dispositione eget: aequae ac alter, alter est communis hominibus, et infantibus quidem communior et leuior, grauior vero adultis, senibusque grauissimus.

Contagium praeterea vtrumque innumeras in eadem epidemia ostendit modificationes, quarum causas perspicere nobis non datur. In aliis numerosam, in aliis (sub iisdem conditionibus aegrotantibus) parcam videmus eruptionem; imo in nonnullis, in quae ingressum est miasma, corporibus nil efficit; quod iam pluries de variolis obseruatum est, et aliquoties etiam de morbillis*).

§. VIII.

De morbillis spuris.

Restat, vt de vna adhuc loquar inter duo illa exanthemata animaduertenda similitudine, ad finem, quem mihi proposui, maxime pertinente. Vti nempe variolae existunt, quae et decursu breuiore, minusque regulari et mitiori natura, a veris, quarum epidemias saepissime praenuntiant, distinctae, varicellae audiunt, seu variolae spuriae: sic et morbilli in nonnullis detegi possunt epidemiis, qui spuriorum nomine haud

*) S. G. Vogels Handbuch der praktischen Arzneigelahrtheit vol. III, pag. 191.

haud indigni, satis bene, signis infra (§. XII) memorandis, a veris, multo autem magis ab illis distincti, qui maligni appellantur, (§. III) quos pro eorum synonymis male habet BURSERIUS *). Pauci tantum horum meminerunt scriptores, sed tam breuiter, ut nullam hucusque inuenire potuerim morbi satis idoneam, phaenomena et decursum eius exponentem, tamque ab aliis illum exanthematibus, quam a veris praefertim morbillis, distinguentem descriptionem.

Aequae, ac variolae spuriae, vna contenti videntur esse morbilli spurii inuasiōe: perpeſſos vero illos a veris immunes reddere nequaquam valent, cuius euidenter probans exemplum narrat S. G. VOGEL **), qui puerum, qui spuris laborauit, breuissimo postea tempore a veris morbillis correptum vidit. Rariores autem omnino varicellis morbilli nothi existere videntur, quia silentio eos praetereunt medici, qui maxima pollent rei medicae peritia et quibus nec defuit plures epidemias morbillosas obseruandi occasio. Ino, nunquam se spurios, quos alii viderunt, conspexisse morbillos, inclutus ille affirmat scriptor FRANK ***). —
Sed

*) I. c. pag. 101.

**). I. c. pag. 203.

***). De curandis hominum morbis lib. III. pag. 233.

Sed mihi nunc, quod de illis scio, exhibere hic liceat.

§. IX.

Decursus.

Cum veris semper fere vno tempore adsunt, dum eorum epidemicam inuasionem aut praecurrunt, aut illam comitantur, aut sequuntur. Rarissime sporadice veniunt: infantes praecipue infestant: rarius adultos: possunt autem et hos aggredi: imo immunis ab iis non omnino senectus habenda est. Semel salutatos vix, at ne vix quidem iterum afficiunt; nec omnes eos experiantur, necesse est.

Maculas formant rubras, paululum initio supra cutem elatas; postea vero planas, parum prurientes, magnitudine et figura variantes. Erumpunt interdum sine villo aliquo ingrato sensu praevio: plures autem, antequam in cute efflorescit exanthema, insolitam lassitudinem, viriumque prostrationem experiuntur. Ad somnum proni sunt. Dolorem prementem supra oculos, vel, quod rarius fit, in occipite queruntur. Omnes paene ophthalmia laborant: vel oculorum lippitudine; saepius sternutant naresque obstructas habent. Dolent fauces et os internum, mucos albedo obductum apparens. Tussis minime tam pertinax est horum, quam verorum symptoma: et cum illa tenuem, sed mitem aegri hu-

humorem reiiciunt: acrior vero iam reperitur aquosus humor ex oculis naribusque effluens. Adfunt frequenter symptomata anginosa et alui obstructio. Nonnulli nau-seam atque emesin patiuntur, quas a sola ventriculi et duodeni irritatione vt plurimum proficisci, euanuescentia earum, simulac materia irritans exanthematica in cutem protrusa est, et puritas vomitu reietorum demonstrant.

Enumeratis hucusque symptomatibus primo iam morbi die, vel serius si fit, certe tamen secundo febris accedit, leuis, catarrhalisque indolis, cum pulsu, celeritate tantummodo, et hoc etiam parum, a naturali differente, vt motus potius leues febriles dicas. Plures enim, praeter admodum leuem, praetereuntem horrorem, nihil sentiunt: sunt autem alii, quos frigus vehementius concutit, illudque calor, per horas aliquot durans, sequitur, cum pulsum manifesto incremento, vrinaque aquosa.

In febris initio aliae quoque molestiae exacerbantur. Plus, quam antea, dolent caput et oculi. Ex his, sicut e naso effluens latex acriorem adipiscitur naturam. Tussis, si antea iam adfuit, nunc magis angit: crescit cynanche: frequentior vomitus aegrotos vexat: somnus nullus, turbatus, vel cum pauore est etc.

Sed in ipsa iam iam nocte vespeream, in qua facta est haec exacerbatio, sequente, plus vero sub diei initium, morbilli, quorum

rum supra dedi descriptionem, primo in facie, capite capillato, collo et pectore, deinde toto in corpore sensim sensimque prorumpunt: at copiosiores, et eleuationes semper in facie, quam tumefaciunt, reperiuntur. Breuissimo temporis spatio tota finita est eruptio, ita, vt paucis horis praeterlapsis, vix noua animaduerti possint exanthemata. Quae, simulac primum in cutis superficie apparent, minuunt statim notabili modo, aut penitus fugant molesta omnia aegroti symptomata. Cedit febris, ceduntque simul affectus catarrhales; atque illa, si vnam adhuc, vel duas perficit exacerbationes, hae semper sunt leuissimae: desinunt nausea et vomitus: nullam porro anxietatem aegri sentiunt: facilius fit deglutitio: coryza remittit: oculi non admodum amplius lacrymant etc.

Longe luculentiori modo omnes decrescunt molestiae, si in fine febris sudor lenis, vel, quod adultis ac plethoricis frequentius contingit, narium haemorrhagia accedunt.

Primo iam eruptionis die, vel, si longius cunctantur, secundo, plana fiunt atque pallefcunt exanthemata: collabescit faciei tumor, interdum notabilis. E naribus, oculisque effluens latex paucissimus est, crassior et mitissimus. Leues subintranct sudores. Die tertio, vel quarto, si ad illum usque perseuerauit, febris abit; abeuntque eodem tempore cum cuticulae desquamatio-

tione morbilli; sed luculentiore modo, quam in morbillis veris, in spurii peragitur desquamatio. Haud enim cutem fufuraceam, vero maiores epidermidis lacinias, tales paene, quales in febris vrticariae sine conspicimus, solutas videmus.

§. X.

Prognosis et natura morbi.

Leuissimum in genere morbum febris haec exanthematica sistit, quae quatuor plerumque dierum spatio finem suam consequitur, nec vllas eam perpeffis molestias relinquit, nisi regimine praeter modum calido, primarum viarum vitiosa colluie, aut alia quacunque infausta accedente complicatione, febris cum symptomatibus illam comitantibus augetur.

Vix vnquam periculum morbilli spurii portendunt atque si ob animi aliquem affectum, vel ob aegroti teneram corporis constitutionem retrocedunt, facillime tamen, idonea adhibita curatione, in cutem redeunt, et benigno modo cursum absoluunt. Praeterea et hic, sicut in omnibus exanthematibus acutis, febris natura rem definit. Quo magis enim a mitiore sua, catarrhali indole decedit, eo grauior semper morbus euadit. Caetero haud difficile est intellectu, eo vehementiorem morbum esse, quo maior exanthematum numerus fuerit.

Plu-

Plures quidem ex vna eademque familia vno eodemque quandoque tempore morbili spurii occupant; haud autem tam late grassantur, vt pro certo haberi possit, eos contagiosae esse naturae. Interea varietatem verorum spurios tantummodo sistere, verosimillimum est; quum materia spurii exanthematis aequae ac veri, catarrhalis indolis sit (quamquam longe minore acritudine) humoribusque mucosis et lymphaticis affinis.

§. XI.

Curatio.

Eadem medici cura, quae in veris conuenit, et in spuriiis adhibenda est morbillis. Igitur si simplices fuerint, cum febre catarrhali, et fuerit illis, quae supra (§. IX). enumeravi, phaenomenis coniuncti, nihil paene amplius agat medicus, nisi, vt caueat; ne fiat aliquid, quoad regimen et dietam ab aegroto, quod morbum exasperare aut crises beneficas turbare valeat: vt prohibeat illum a cibis et potionibus acribus, tam calefacientibus, quam refrigerantibus, ab acidis, quae larga quidem manu in aliis exanthematibus acutis praebemus, quibus hic autem, quia irritatione anginam vel tussim augent, abstinendum est: vt in fine morbi praecipue lenis transpirationis cutaneae alendae rationem habeat, eamque ob rem in ultimo morbi die e lecto exsurgere aegro non permittat eique potiones copiosas, blandas, diapnoicas commendet.

Pe-

Peculiarem vero rationem angina nonnunquam postulat. Quarta quidem die sponte plerumque abit, cunctis cum aliis simul molestiis. Antea vero nimis si torquet aegrotum, leniri commode potest potionibus largis obvoluentibus e mucilagine gummi arabici vel tragacanthæ, cremore oryzæ, auenae, hordei etc.; vaporibus calidis, e decocto florum sambuci, lacte et similibus, inhalandis; gargarismatibus ac collutoriis emollientibus e lacte, melle, infuso florum sambuci etc: atque collo extrinsecus applicatis emollientibus, calidisque tum fomentis tum cataplasmatibus, e mica panis albi cum aqua et lacte, vel aliis huiusmodi, paratis. — Caetera morbi symptomata rarissime curam specialem requirunt et nunquam aliam, quam si veros comitantur morbillos (§. V.); atque si spurios febris gastrica, inflammatoria aliaue comitatur, haud sufficere ad has simplicem illam, quam breuiter exhibui, medendi rationem, nemo non videt.

§. XII.

Morbilorum verorum et spuriorum discrimina.

A miasmatis morbillofi varietate et modificatione spurios morbillos nasci, libenter confiteor, cum veris quoniam nothi non vno tantum tempore inuadunt, sed cum illis, in multis etiam aliis rebus, ad morbi

na-

naturam pertinentibus, conueniunt. Nihilominus autem morbum primarium mihi facere, et loco peculiari inter exanthemata acuta digni videntur: non carent enim symptomatibus diagnosticis, tam ab aliis illos morbis cutaneis, quam a veris morbillis distinguentibus. — Quod ad formam attinet, ea nimirum morbillorum duae species vix dignoscantur, quamuis spurii minus paululum quam veri supra cutem elati minus prurire, minusque nitere videantur: eo magis vero perspicuae in morbi vtriusque decursu comparando differentiae se offerunt. Quatuor enim satis distincta stadia veri percurrunt; stadium scilicet inuasionis seu contagii, quod a primo, quo sensus ingratos queritur die aegrotus, ad tertium saltem durat; stadium eruptionis, ad quartum: stadium efflorescentiae, a quarto ad sextum diem perseverans, quod sequitur stadium desquamationis, morbo finem imponens. Eadem quidem stadia morbilli nothi absoluunt: sed omnia tanta cum celeritate transeunt, et tantopere variant, ut vix positos cuique certos terminos definire possimus.

Quoad febrem, in veris haec nunquam sine prodromis intrat, trium dierum synochus est (me de morbillis simplicibus hic loqui, nemo non intelliget), qui per sudorem et urinam magis, quam eruptione cutanea iudicatur: spuriorum autem febris prodromis saepius caret, diariae terminum
nun-

nunquam excedit, leuioris multo est naturae, et exanthematum in corporis superficie eruptio iam sufficit, vt iudicetur. Caetera quoque symptomata catarrhalia multo leuiora sunt in spuriiis, quam veris. E naribus, pulmonibus, oculisque excretus latex minore copia exernitur, minoremque acritudinem habet. Respirationis organa, non tam saepe, quam deglutitionis, patiuntur: et illa si afficiuntur, non tanta tamen adest dispnoea, non tam constans et molesta tussis, vt peripneumonia et phthisis timendae essent, quas veri libenter relinquunt: nec oculi tam vehementer laborant. Mala metastatica nunquam forsitan obseruanda veniunt. Nam critica omnino videtur esse eruptio cutanea, molestias omnes vel minuens, vel fugans. — Satis haec mihi videntur, ad morbillos spurios a veris internoscendos.

§. XIII.

Ab aliis exanthematibus acutis distinctio.

Sunt autem praeter veros morbillos et alia, quibuscum simile aliquid spurii habent, exanthemata; inter quae haud vltimum locum vrticatum obtinet, papulas referens ex albo rubentes, prurientes, cutem ipsam eleuantes, faciem plus, quam alias partes occupantes, post febrem diariam (si febri-les motus adsunt) erumpentes, incipiens a cutis vix sensibili refrigeratione, leuique

capitis dolore. Omnia quidem haec morbillos spurios comitantur symptomata; abfunt autem (vt alia silentio obeam) a febre urticaria symptomata diftincte catarrhalia, ipfumque exanthema tuberculofius est, vehementius prurit et plus in albidum vergit ruber ejus color.

Nec minor cum febre fcarlatina est morbillis fimilitudo, cuius exanthema maculas refert, lentis magnitudine, forma inconstante, in facie primum ac potiffimum efflorefcentes, elatas initio, poftea planas et confluentes, cum febre diaria catarrhali (nifi complicatio morbus est) coniunctas, cum angina, tuffi, vomitu inani etc. At nunquam in fcarlatina tam mita, quam in morbillis, catarrhalia funt symptomata: nec, vti hi alba inter maculas interftitia patitur fcarlatina: fed totam paene corporis cutem rubedine inficit, eryfipelatis colori maxime fimili. Neque eius eruptio femper critica est: fed faepe, ea absoluta, permanet febris cum comitibus fuis.

Cum petechiis unquam nullus, nifi imperitiffimus, morbillos, fiue veros, fiue spurios confundet. Illae enim fupra cutem minime, digito ipfe fubtiliffimo iudice, prominere inueniuntur: colorem fufco-rubrum magis habent, discretae funt, figura et magnitudine plerumque aequales; artus magis quam faciem et aliis faciei regionibus, palpebras inferiores libentius occupant.

Faint, illegible markings or bleed-through from the reverse side of the paper, possibly including a circular stamp or a vertical column of text.

VO 18
PICA





DE
MORBILLO RVM
VERORVM
ET
SPVRIORVM DIFFERENTIA,
DISSERTATIO INAUGVRALIS,

QVAM
CONSENTIENTE
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE
IN
VNIVERSITATE LITERARIA FRANCOFVRTENSI
PRO SVMMIS
IN
MEDICINA ET CHIRVRGIA
HONORIBVS
LEGITIME OBTINENDIS
A. D. XVIII. OCTOBRIS CLODCCCXCVI.
PVBLICE DEFENDET
A V C T O R
M O S E S M A R K V S E
HANNOVERANVS.

TRAIECTI AD VIADRV M,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

Kern 1716

x-rite

colorchecker CLASSIC



mm